



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.  
Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

diſtiones futurorum, licet ſibi copioſè oſtenſas, pauciſſimas edidit, vel ad erigendam ſuorum fiduciam, vel Deo per illas auctoritatem ordini iam conciliante, cuius illum deſtinauerat parentem; ad hæc illi honorem exhibere, idem fuit vt eum pudore ſuffundere; tam certum enim animo tenebat, ſibi præter lugenda nihil ineſſe, vt intelligere non poſſet, vnde nam de ſe laudis materia cuiquam ſuppeteret. Fama erat inter nos tutelarem illi eſſe Archangelum; vnde illa ortum duxerit, incompertum. Illud ſcio poſt Sancti obitum, Mutinæ in arreptitia, dum S. Ignatii inuocatione vtgetur dæmon ad purgandam habitationem, cogique ſe ad fugam fateretur, cuſtodem Ignatii nominatſe Magni Archangeli titulo. Lainius vero teneræ illius erga ſe beneuolentiæ ſecurus, cum ex eo quandoque ſiſenter quaſiſſet, de illa erga ſe Archangeli tutela quid eſſet? non aliud tulit ab eo reſponſum, niſi quod perinde erubiſſe illum ait, vt virgo ſolitaria, & oculos fugiens ad inopinatum ignoti, & extranei hominis ingreſſum. Sed egit aſperius cum quodam ex fratribus, qui inter colloquendum cum alio vocarat Ignatium magnoperè ſanctum, qualem ipſe reuera ſentiebat. Hoc vbi cognouit ſanctus Pater, grauiffimè illum increpuit, quod dedecoraſſet ſanctitatem, attribuendo illam ſibi homini peccatori, & eam verbi contumelia læſiſſet; iuſſit vero in pœnam extra triclinium per dies quindecim cibum in loco ſordidiſſimo ſumere. Verum Patri Iacobo Equiæ, affinis huic ſermo, fortassis vita ipſa ſtetit, confeſſiones Ignatii audire ſolitus, conſciūſque illius mirabilium arcanorum, niſi cum quadam laudis hyperbole de iis loqui non norat; cuius pœnam erroris luere præcedenti libro hunc vidimus: imperare tamen ſibi non poterat, quin modos ſibi nihilominus quosdam effingeret, quibus ſibi putabat licere eorum aliqua præbere indicia quæ vetabatur explicatius aperire: palam enim optabat, orabatque, paucas horas ſuperſtes Ignatio viuere, per quas ſolutus ſilentio quod quamdiu iſ in viuus maneret, iuſſus illi fuerat ſeruare, poſſet ea efferre, quibus attonitos faceret audientes. Refert autem Oliuerius Manareus, tunc à patribus pro certo habitum, hoc Equiæ votum de producenda tantisper eo ſine vita, cauſam fuiſſe illius decurtandæ, & S. Ignatium humilitati ſuæ conſulentem impetraſſe, vt eſſet potius aliquot diebus ſuo confeſſario poſthumus, omniſque cum Equiæ eorum memoria interiret, ex quibus poterat etiam poſt mortem Ignatius, ſanctitatis opinionem incurrere.

V.

Reliquum eſt de hac viri ſancti abiectione excellenti, quo nec dici poſſe in hoc genere arbitror, aut quicquam perfectius, aut cogitari maius, tamenſi forte multorum oculos fugerit, nec leui contuitu valeat deprehendi: virtutem enim quantumuis heroicam, ſi ab ea diſcedat geſtorum mirabilitate, quæ nobili ſpecie aspectus hominum ſuſpenderit, vix pauci, iique in paucis perſpicaciſſimi ſuo prætio æſtimant; vnde potro ad hoc, poſtremò applicuerim animum, haud erit opinor ingratum legere: B. Magdalenam de Pazziſ Carmelitanam Monialem, crebris cœleſtium exploratiſque viſis dignabatur Deus. Huic ſe virgo mater, Decembris octauo & decimo, anni

ni 1594. spectandam præbuit media, inter sanctos Ignatium, & Angelum, Martyrem Carmelitam; quos secum duxerat: illum humilitatis, hunc vero paupertatis futurum ipsi præceptorem. Docendi principium fecit Ignatius, cuius verba, ut in similibus, mentis ab sensu auulsa motibus solēbat, clara voce, & interdum subsistens, ipsamet referebat. Quæ hic bona fide reddenda censui. [Ego Ignatius lectus sum ab sponsi tui parente Virgine, ut tibi humilitatis religiosæ traderem disciplinam; attende sis igitur quæ sum tibi dicturus, arbutis recens in solum religiosæ familiæ translati, affundenda est humilitas, ut lucernæ suggeritur oleum, utque vas totum infuso oleo occupatur, ita humilitas, veraque ipsius cognitio, debet in iis animæ facultates sic totas persuadere, ut quocumque se vertant, nihil nisi humile, ac mansuetum in illis occurrat. Quemadmodum autem non potest ellychnium absque oleo ardere, sic neque teneræ arbores perfectæ splendebunt sanctitate, nisi perpetua illis ingeratur humilitatis cognitio, eiusque usu exerceantur assidue, & doceantur quantoperè monialibus veris sit necessaria. Est vero humilitas, nihili sui continuata cognitio, saporque omnium iucundus atque continuus, quibus anima in sui contemptum inducitur, eo usque suarum facultatum, dum viribus omnibus compositissimis potitur. Sed curandum contempiones illas quibus deprimatur, ut in eum quem dico tranquillæ mentis apicem euehatur, immobilis perferat, & firma; repetatque memoria, in religiosæ vitæ proposito, nihil se præterea quæsisse: ac ne quam hæc partem dæmon inueniat, arte opus est utatur, notitiarum Monialium prudens nutrix, deprimendis nimirum earum iudiciis, & voluntatibus, si obstare sibi: aut ferre impatientius eas aduerterit, seuerè reprehendat, & magnum illis iniiciat, in re quanquam non magna scrupulum: verum hinc oleum deiectionis dum suggerit, inde balsamum instillet, efficiatque intelligant, quantum Deo honoris, quantum boni ad ipsas ex eo redeat; quam præclarum opus moliantur, ita ut amore humilitatis sanctæ inardescant, & præter illam nihil velint, aut spirent. Verbis, gestu, operibus, præferri humilitas exterior debet; verbum omne quod eam non oleat non minus vitari, quam vulgo vitetur sacrilegum; quicumque dedecet humilitatem gestus, in religione tam sollicitè cauere, ut qui honori, & famæ in sæculo censetur contrarius. Actus denique in quibus humilitas non lucet, perinde oportet auersari, ut esset Rex potens, auersurus aspectum à pecuarij filio centonibus induto. Tantum iis qui præsumunt, humilitatis inesse opus est, (post data scilicet illius, nota de se exempla) ut dum arguunt, hortantur, & eiusmodi alia obeunt, non cogantur eam exere. Ita sit sponsarum qualibet, Religiosas dico, animo comparata, ut possit aliò transferri, possintque qui regunt, suauissimos quosque fructus, maximèque pretiosos, vel in editum solum, vel in valles transferre, plantatione interim minus pretiosorum passim continuata. In virtutis excelsæ fabrica sponsas decet assimilari lapidibus templi Salomonis, malleo nunquam obstreperis; nam si quæ aptantibus ad ædificium obstreperent, depor-

tandæ

tandæ sunt ad fontem, vt partim amore, partim seueritate sic inebrientur, ne possint labra diducere, sed tanquam ebrizæ in dulcem collabantur somnum; quibus autem hæc sancta displicuerit humilitas, iis sponsus tradatur præ manibus de cruce suspensus, doceanturque hunc esse quem in se exprimere debeant, nulla ipsarum quamdiu spirauerit, hoc humilitatis gymnasio absistat; & qui animas curant, exercere illas quamdiu in corporibus manserint, hac humilitate nunquam cessent; est enim ascensus tot surgens gradibus, vt nunquam desit quo altius scandatur; iterandusque est sæpius per eisdem gradus, multiplicatione actuum ascensus: quibus hæc deest humilitas, extra se euadere nequeunt, in iis enim sexcenti affectus pullulant, & curiositas innumerabilis, quibus implicitæ detinentur. Quo modo corporatum verbum, hominum piscatores fecit Apostolos; sic & sponsas suas in prædam animarum misit. Abundè te humilitate iam paui; paupertate pascendam nunc te alteri trado. ] huc vsque illa ex ore S. Ignacij de humilitate Christiana. Iam verò beatæ alterius ordinis Virgini, datum à Virgine Christi matris, doctorem humilitatis Ignatium, præ cæteris omnibus qui virtutis huius luce claruerunt, visum hominibus in ea eximie versatis, nisi singulari in eadem Ignacij merito non posse tribui. Haud quidem quod nouum aliquem illius gradum inuenerit, sed quod in summum hunc illius apicem tantis animi viribus atque tanta contenderit, vt in eum tandem possessor quietus euaderet; nempe humilis esset absque ylo exterius humilitatis indicio; humilitatem & contemptum sui, humilitate premens, opinionem viri humilis vitaret, quæ est humilitatis minus recta gloriosa quædam pedissequa. Fuit humilitatis eius hoc tam singulare ingenium, vt quibuscumque nitere poterat, solerter omnia occultaret, & hanc ipsam occultationem sic dissimularet, vt quibus erat parum notus, putarent illum non dissimulanter sed reipsa, virtute destitui; qui flos est, cremorque lectissimus animi seipsum proculcantis, & sequacem humilitati gloriam callide auertentis, quod spernendus, & vilis, non autem humilis videatur. Importunis suorum precibus fatigatus, vt quod fecerant viri sancti, ad filiorum consolationem, de se, rebusque suis aliquid diceret; diu primum negauit; tum ne crederetur humilitatis studio negare, vt magnifica sua, & grandia obscuro premeret, ita cessit illorum precibus, vt iis videretur & satisfacere, & hoc ipso tamen satisfaceret latendi desiderio, sui que contemnendi. Dictauit igitur sub finem vitæ Ludouico Gonzales breuiarium quoddam rerum, quæ sibi ad annum 1543. à conuersione contigissent; cætera remisit ad P. Natalem eorum minime ignarum. Cauti autem prudenter; ne ad Iacobum Equiam ea remitteret enarranda, cui scilicet interioris vitæ recessus omnes patefecerat confitens, & voluit de se pauca tantum quædam beneficia resciri diuinæ erga se largitatis, ne opinionem incurreret hominis aliquid celantis, sed quicquid haberet memoratu dignum, id omne vel per se dictasse putaretur, vel Natali dicendum reliquisset; de illa itaque cum Deo communicatione domesticâ; de nexu; arctissi-

mo familiaritatis cum eo intimæ de rerum perspicientia ultra humanas latentium, quas edisserere sermone ne penes ipsum quidem fuerat, verbum nullum fecit: nec sanè illius sed Dei gratia residuum habemus paucarum ex multis schedarum fasciculum, quibus adnotabat quotidiana sua cum Deo commercia, hæque solæ alias comburenti, bona nostra sorte exciderunt, quæ licet perexigua sint de tot annis illius, particula, menses tantum complexa quatuor; sed tam multa, & tam insignia exhibent, vt vel ex iis quæ inde decerpta exscripturus sum suo loco, futura sit facilis de thesauris ingentibus quos mente fouebat coniectura. Hac etiam arte humilitatis occultanda; primorum qui Romæ tunc erant sociorum examini, atque iudiciis constitutiones subiecit, ac securus licet, nec vnum apicem in iis immutandum, quod eas etsi manu sua, sed Deo scripissæt, suggerente: sat egit atamen, vt neque diuinæ, sed ne suæ quidem viderentur: cumque iam pariter auctoritate Pontificis obtinerent, vim totam qua possent in vsum publicum conferri; sed postremum hunc actum supremæ potestatis, maluit primo post suum obitum Generali conuentui seruare. Verum huius artis in demissione sui singularis, perfectum specimen mors eius edidit, sola, obscura, pæne dixerim omnibus destituta. Sciebat paucas sibi horas restare; miserat sub noctem qui sibi tanquam ea nocte abituro è vita, postremam à summo Pontifice posceret adprecationem; quòd tamen medici censerent dies aliquot fore superstitem, hoc ille ipsorum iudicio vsus est, vt qualis in vita esse contenderat, talis etiam moreretur, obscurus, & extra omnium præterquam Dei oculos positus, & ignotus. Quare præensione instantis obitus silentio pressa, eorum arbitrio se permisit, qui paucos adhuc illi dies spondebant ita; nec Vicarium sibi dixit, nec vllum sibi habuit excubantem, nec vidit circumfugentes filios quibus bene precari, & verba posset suprema dicere, solus nisi mox cum esset animam efflaturus, è vita discessit.

Iam huius tam altæ humilitatis partus sunt nobiles, Obedientia, & paupertas. Illa nobis, hæc nostris nos spoliat, vtraque ad illud prouehit locuples nihilum ad quod anhelat humilitas. Obedientiæ quanquam Ignatio ad Societatis clauum residenti, seges angusta præbita sit, vbicumque tamen se obtulit, palam fecit, de illa haudquaquam præcepisse se maiora quam egisse: nam si vltro operam coquo daret, non minus illius obseruabat nutus, quam dierum paucorum nouitius tiro: medicis ægrotans sic morem gerebat, vt eorum iussu, ad prostratarum leuamen virium, ieiunia solueret, quæ ad feriam quartam sanctioris hebdomadæ ægro conatu perduxerat, nec de eo quod pauxillum restabat litem medicis mouere, pietatis putauit satis perpurgatæ; foreque Deo gratiorem voluntatis maectatæ victimam, quam carnis, integra voluntate. Extremum quin etiam periculum adiit, ne à medicorum præscriptis abiret; nam iunior medicus, stomachi dolores ex incendio iecoris, ratus ex frigidiore ventriculo iacentem cruciare, omni arte opæque id egit, calorem vndique illi accerferet, potiones itaque calidas pro-

Qq

pinare,

VI.

S. Ignatij  
Obedientia.